



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Thomas Lollius Episcopus Cirenæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

**Carolus Azzolinus Episcopus olim
Balneoregieñ.**

Beatissime Pater: Vidimus in eximia Beati Thomæ charitate quomodo bonus Pastor operetur. Expedi, vt in Ecclesiæ totius exemplum videamus etiam, quomodo coronetur: idè & proficuum, & opportunum reor, autoritate Apostolica Beatum Thomam referri in Sanctorum numerum, vt cuius bona reposita sunt in Domino, elemosynas illius enarrèt, atque imitetur omnis Ecclesia Sanctorum.

Ferdinandus Apicella Episcopus Larinèñ.

Quia Beatus Thomas de Villanoua, ob totinclitas eius virtutes, in diebus suis placuit Deo, & inuentus est Iustus, pietatemquè vbique plantando, vitia auulsit, & inter Deum, & hominem in tempore iracundiæ, factus est reconciliatio; Ideò iurè iurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Meritò igitur Sanctitas Vestra, Domini iuramentum exequendo, eundem in Sanctorum numero collocare meditatur. Idque ego æquissimum iudico.

Thomas Lollius Episcopus Cirenæ.

Perfectionem Patris nostri Cœlestis, Beatissime Pater, æmulatus fuit in multis Beatus Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentia ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, & præsertim in hoc, quòd misericordia eius super omnia opera eius; nam sicut in Sancto Iob, ab infantia creuit miseratio, & de utero Matris suæ egressa est cum eodem; ita B. Thomas ab ineunte pueritia intellexit super egenum, & pauperem. Quare cum possideat Regnum viris misericordiæ paratum, posse illum censeo à Sanctitate Vestra referri inter Sanctos.